



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Onvphrii Panvinii Veronensis Fratris Eremitae  
Augustiniani. De Praecipvis Vrbis Romae  
sanctioribusq[ue] basilicis, quas Septem ecclesias uulgo  
uocant, Liber**

**Panvinio, Onofrio**

**Romae, 1570**

De ecclesia S. Venantii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11316**

## 166 ONVPHRIVS PANVIN.

monasterij, & diaconus, qui ante annos CCCC. Alex-  
andro Papæ iii. librum de basilicæ Lateranensis digni-  
tate conscripsit, refert prope hanc sanctæ Crucis ædicu-  
lam fuisse aliud oratorium s. Gregorij nomine fabrica-  
tum, in quo usque ad sua tempora eiusdem sancti Patris  
lectulus iuxta aram permanebat, cuius vestigia aliquot  
cum picturis ponè facellum sanctæ Crucis in vinea Ma-  
rij Fregepanis extare opinor.

## De Ecclesia S. Venantij.

**I**Nter absidam S. Andreæ, quæ est in porticu ante  
baptisterium Lateranense, & oratorium S. Ioannis  
Euangelistæ, a latere fontis septentrionem versus est  
oratorium, immo potius ecclesia quadrata S. Venanti,  
quam Ioannes Papa iij. Dalmata, qui anno Domini  
DCXXXVIII. creatus fuit, condidit, & sub eius alta-  
ri corpora sanctorum martyrum Venantij, Domnionis,  
Anastasii, Mauri, Asterij, Septimij, Sulpiciani, Telyj,  
Antiochiani, Pauliniani, & Caiani, ex Dalmatia &  
Istria Romam adiecta, recondidit. Quam multis mune-  
ribus donauit, arcubus scilicet amplis duobus, pensanti  
bus singulis libras XV. simul, & alijs multis vasis  
argenteis.

Ecclesiæ paries in qua est chalcidica, antiquitus us-  
que ad zophorum è tabulis marmoreis incrustata fue-  
rat, supra zophorum vero usque ad tectum è musivo or-  
nata est. In absidæ fornice opere tessellato picti sunt B.  
virgo, in medio sancti Petrus, Paulus, Ioannes Baptista,  
& Ioannes Euangelista; item ss. Venantius, & Domnio  
martyres

DE VII. VRBIS ECCL. 167

martyres cum pallio libros in manibus tenentes . Ioannes 1111. qui basilicā inchoauit, & eius successor Theodorus , qui forte eam perfecit , cum pallio & planetis cœruleis sine mitra uel aliquo capitis orname[n]to. Quorum Ioannes ecclesiam , Theodorus uero librum in manibus tenent . Supra absidem in pariete paulo infra te[ct]um, est imago S. Saluatoris cum duobus ex utroque latere angelis , & his etiam sanctis . uidelicet , s. Paulinianus , s. Telius , s. Asterius , s. Anastasius coronas in manibus tenentes : s. Maurus cum pallio , s. Sulpicia nus diaconus , s. Antiochianus , & s. Caianus cum coronis in manibus . Supra quorum signa , sunt tres fenestræ cluse cum quatuor interstilijs euangelistarum animalibus , item Hierusalem & Bethleem ciuitatibus . In zophoro absidis sunt h[ab]e musu[m] uersus :

MARTYRIBVS. CHRISTI. DOMINI. PIA .  
VOTA. IOANNES  
REDDIDIT. ANTISTES. SANCTIFI-  
CANTE. DEO

AC.SACRI.FONTIS.SIMILI.FVLGENTE .  
METALLO  
PROVIDVS. INTSANTER. HOC.COPV  
LAVIT.OPVS

QVO.QVISQVIS.GRADIENS.ET. CHRI-  
STVM.PRONVS.ADORANS  
EFFVSASQVE. PRECES. IMPETRAT.  
ILLE.SVAS